



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Sortes, Qvibvs, Ne Temere Cadant, Temperandis; Vel, Si
Temere Dvcvntvr, Castigandis, Divini Ivdicii Æqvitas
Semper Adest**

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1645

§. 7. S. Ignatius Loyola, itidem inopinata librorum lectione, ad meliora ductus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52306](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52306)

us, flebilibusq; gemitibus. Conuertisti enim ita me ad te, ut nec uxorem quererem, nec aliquam spem seculi huius, stans, in ea regula fidei, in qua me ante tot annos ei reuelaueras. Et conuertisti luctum eius in gaudium multo uberius, quam voluerat, & multo charius atq; castius, quam de nepotibus carnis mee requirebat. Augustini & Alipij hæc sors fuit, quam multi imitantur; qui, turbato cum sunt animo, & fluctuante, Thomæ de Kempis libellum aperiunt, aiuntque, se semper solatium reperire, & idoneum vulneri suo emplastrum.

§. VII.

S. Ignatius Loyola, itidem inopinata librorum lectione, ad meliora ductus.

Petr. Ribaden. l. 1. c. c. 2. de vita S. Ignatij Loiolæ.

Si non sors, certè sors fuit; incidisse in pios libros Ignatium Patriarcham nostrum. Nam cum in lecto iacere cogèretur, essetq; in profanis libris legendis multum temporis collocare solitus, aliquem eiusmodi librum sibi ad manum dari iussit, ut eius lectione tempus falleret. Negantibus familiaribus; domi eiusmodi esse libros, duos Hispanica lingua scriptos accepit, ne prorsus otiosus esset, quorum alter Christi, Salvatoris nostri, alter Sanctorum vitas continebat. Atq; horum quidem librorum le-
ctione,

Etione, sensim eius animus immutari, & imitandi, quæ legebat, studio quodam affici videbatur. Hoc initium fuit conuertendi illius militis, à quo tot conuersionum milliones pependerunt. Librum petijt: profanum optauit: sacrum sortitus est. inde didicit sapere, vnde alios sapere doceret. Sed & sanctos tutelares sorte eductos non minùs vtiliter, quàm piè, legimus.

§. VIII.

Menstruorum Sanctorum sortitio à B. Francisco Borgia primò in Societatem IESV, inde in Sodalitates Marianas introducta.

Erat solenne familiæ Borgia, vetere instituto, vt è Diuorum numero aliquem quotannis sorte duceret. Seruabat religiosè hunc morem puer etiam tum Franciscus (Borgia) quem etiam in Societatem induxit, priùs, quàm familiam ducere cepit. Dini nomen cui obuenisset, is, profesto die, duos mendicos vicatim collectos alebat; festo verò, binis bini mares, faminis femina, ad mensam ministrabant. Ex hoc fonte manant pia solennisq; Societatis cõsuetudo, vt, singulis mensibus, Sanctorum nomina sorte è fistula educantur distribuanturque singulatim. Quo die votis conceptis, religiosèq; persolatis o-
pem

Andreas
Schottus
l. 1. vitæ
B. Fran-
cisc. Bor-
giæ, c. 1.
Idem lib.
4. c. 4.